

V C
3106



Ch.



Ch. 28, 7.

15. 4

Vc

3106

SALANAE ACCLAMATIO
AD ILLUSTRISSIMUM CELSISSI-
mumq; Principem ac Dominum,

D. CHRISTIA-
NUM II. DUCEM SAXO-
NIAE, LANDGRAVIUM THV-
ringiae, Marchionem Misniae, &c. Sacri
Rom. Imperij Septemvirum &
Archimarschallum

*Profelicibus Electoralis dignitatis nuperrime
adepta auspicijs,*

Cum Vinaria digressus Ienam transfret,
*Humilime congratulationis ergo
scripta ab*

ELIA REVSNERO LEORINO
Historiarum & Poeseos in illustri
Salanâ Professore publico.

J E N A
Ex Typographéo Lithandreano.
M. D C I.





Pro felici Electuræ Aus-
picio

ILLVSTRISS. CELSISSIMIQVE
PRINCIPIS

D. CHRISTIANI II.
DVCIS SAXONIÆ &c. SACRI
Rom. Imperij Septemviri & Archi-
marſchalli,

Quantus erat luctus CHRISTIANO Patre sepulto :
Primus is Elector nominis huius erat :
Tantus lætitiæ cumulus nunc exstat ubique,

CHRISTIANVS fasces quando SECVNDVS habet :
Iustitiâ dubium maior, pietatene sanctâ :

A que DEO, sacro PROXIMUS IMPERIO ;
Septē inter radians ceu sidera, CAESAREM HONORANS,
Ceu Solem Imperij, spontē TIMENSQUE DEVM.

Sic benè cum RVTA Imperij conjungitur ENSIS :
Pro DEO & IMPERIO cum stat ubique Sacro.

Macte animi felix Princeps ! Deus orsa secundet
Imperia, & firmet numine cuncta suo.

CHRISTIANVS Patriæ esto Pater, vereque SECVNDVS :
Sic bene te Cæsar, sic amet ipse Deus.



Nicolaus Reusnerus D.
Com. Pal. Cæs.





MELOS GRATVLATORIVM
AD D. CHRISTIANVM II.
Ducem Saxonie, Landgravium Turin-
gie, Marchionem Misnia, S Rom. Imp. Septem-
virum & Archimarschallum.



Dive priscis edite Regibus
CHRISTIANE, gentis præsidium tuæ;
Gentis præalto VVATTIKINDI
Stemmata Saxonici creatæ:
Quantum sinistris perculit ictibus
Adversa quondam Sors, obitu ex Patris,
Myfos, Turingos, Saxonesque;
Stamina cum fugitiva vitæ
Huic in juventâ rumperet Atropos:
Quantosq; tunc fratrum enthea pectora,
Tecumque mater, illa sexûs
Fœminei decus & corona,
Fecere læsûs: pectora gaudio
Tanto resultant nunc iterum omnium;
SEPTENVIRATÛS dignitatem
Dum tibi destinat, & secures

Tradit paternas, rerum opifex DEVS.
Congratulantur quas tibi Saxones,
Myfi, Turingi: parque fratrum
Nobile dulceque, IAN-GEORGVS
(Hunc patriâ absentem ô Superi procul
Servate!) fascesque Albiaci modò
AVGVSTVS obtinens Lycéi:
Ipsaque semideum genitrix
Gentisque Princeps lux SOPHIE suæ:
Et quæ chori flos virginiei, tibi
Connubiali copulanda est
Fœdere, Regibus orta Cimbris
HEDVIGIS: & quæ lumina, numina
Terra hæc honorat Saxonica domûs:
Aulæque reliqui Dynastæ:
Teutoniæque Duces sacrati,
Ast inter omnes ille tibi pater
Lustris duobus, tutor & optimus
DUX FRIDERICVS GVILIELMVS,
Hæc tibi sceptrâ volens & ultrâ
Cedit: tuisque hoc grande humeris onus
Pòst perferendum, sicut Atlas suo
Tulisse dorso fertur alti
Pondera prægraviora cœli,
Imponit. Euge! macte animi tui
Virtute! divûmque ardua munia
Adsuesce obire, ô CHRISTIANE
Dijs genite, & geniture divos.

Æquâ cuiuis distribuens suum
Bilance, fasces condecoret tuas,
Regina virtutum parensque,
IUSTITIA aurea, firma regni
Columna, vinculum vitæ adamantinum,
Natalis arx & perfugium soli:
Quâ vel remotâ, rerum habenas
Iuppiter ipse nequit tenere,
Passu comes sed dux eat huic pari,
Haud ficta veri **RELLIGIO DEI**,
Expersque fuci: quæ salutis
Monstrat iter, patriasque sedes.
Has æmuletur sancta pedissequa
FIDES sorores, cedere nescia
Sævis procellis: & tenellas
PAX redimita comas olivâ,
Divina stipent te **SAPIENTIA**,
VIRTUSque vivax, nudaque **VERITAS**.
Sic subditos rectè valebis
Arbitrio regere unus æquo.
Plaudunt penates en tibi, & atria,
Atque aula: lætum (en !) te caput exerunt
Elyster, Albis, Sala, Mulda,
Dux generose, superbientes,
En! blandicellis vocibus ut novem
Appellitent te Pierides, chori
Et quicquid est dulcis sororum:
Fataque fausta tuis precantur

Scep̄tris gerendis: pectoreque accinunt
Pœanagratō: Sis Patriæ Pater,
Ecclesiæ sis ô benignum
Sidus, & Imperij columna:
Sincerioris religionis, &
Tranquillitatis sis quoque tu anchora:
Portusque Musarum salubris:
Præsidiumque fori verendum:
Sis disciplinæ, sis Themidis sacræ
Custosque præsesque, & pacis amans piæ:
Carus dijs, carus Camœnis,
Carus & Aoniæ catervæ.
Mirabitur sic primus & ultimus
Te orbis: tuarum congeriem neque
Laudum inquietis actus undis
Eluet Oceanus perennem.
Maçte eia virtute atque animo tuo
CHRISTIANE! Sic te magnus amet DEVS,
Multos & orbi Christiano
Det similes tibi CHRISTIANOS.





Ad eundem

PARODIA HORATIANA.

Ex lib. 1. Ode 36.

ET laude & precibus decet
Maectare, & genij carmine debito
Custodem Imperij D E V M :

Qui nunc sidereis largus ab arcibus,
Celsis plurima Regibus,

Nulli tanta tamen dat bona, quam Duci
CHRISTIANO Ensifero: memor
Exactæ in Domini lege puertia,
Et Bullæ simul Aureæ.

Cressâ ne careat pulcra dies notâ:
Neu plausus modus annui,

Neu tanta pigra sit laticia quies.
O multâ superes Patrem

Annorum serie, paceque candida!
Non desit tibi sanctitas,

Non vires animi, non sapientia.
Omnes imperium in tuum

Deponant oculos: numine nec suo
Te Rex destituat poli,

Donis semideum munificentior.

16. 3106 De eiusdem Principis nomine

Odarion ἀναγραμματικόν.

CHRISTIANVS DVX SAXONIAE ELECTOR.
ALTA VI EX CORDE CHRISTO ES ANNIXVS.

Nil est beatum rebus in omnibus :
Sed felle amaro mellea tingitur
Dulcedo. Constans nil in orbe est,
Nilque fidele, quod usquequaque
Ambit mare. Ergo quàm benè, quàm piè
ANNIXVS ALTA ES VI, generose Dux,
EX CORDE CHRISTO, CHRISTIANE,
Vnica namque salus, potentem
Spes in IHOVAM figere: qui bona
Promittit affatim omnia: pluraque,
Promissa quàm sunt, largiendo
Nobilitans animum paternum;
Sat evidenter comprobat, omnium
Quòd vota vincat gratia prodiga:
Nobisque amoris certa tradit
Signa sui: dubitatione
Ne turbet ægram mentem aliquod malum,
Fixa ergo sit spes omnis in ipsius
Clementiâ; qui nostra dextrâ
Nomina cuncta suâ notavit.



710

OR.
YS.

ULB Halle
004 789 237

3



1017





Ch. 28, 7.



AD
D
N V
NI
Pr
ELI
H



ISSI
A=
XO-
H V-
cri
rimè
t,
RINO
sttri
no.



Vc
3106

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak LICENSED PRODUCT

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

